Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.L.

queat ad vitam reducat. Quomodo ergo tu impos-
sibile esse dicis quod anima more serpentis suum vestimen-
tum necessitate compulsa deponat et illud deo
iubente resumat. Quid miraris si pellicanus fenix
post tempus suo calore et leo sua voce et pelli-
canus proprio sanguine et mustela quadam herbe
virtute si possit hoc leo virtute vocis sive clangore
ultime tube. Sed et accipe aliud valde mirabile. Ho-
noratissima avis est fenix nec unquam nisi una ex-
istit que dum ad senium post quadringentos vel
quingentos annos venit rogum ex lignis val-
de siccis atque aromaticis construit qui incensus
calore solis sponte in ignem se avis immergit
que cum mortua et in cinerem versa fuerit ex eisdem
cineribus die tertio novo surgit. Quis igitur
nisi stultus neget in homine quod sic patenter cer-
nit in ave. Sed quia resurrectionem negare non
potes ex adverso obicies. Quod et si resurget
avis non tamen eadem avis quod prius resurgit. Nam
secundum doctrinam philozophicam forma corrupta et
iterum generata non est numero eadem. Sed diversa.
Verum obiectio tua omnino est nulla si phisice dicti
consideretur causa. Nam forma corrupta et iterum
generata non est numero eadem secundum alia quia agens finite
potencie non potest aliquid reparare nisi per aliquam
novam inmissionem et per veri alteracionem et vari-
acionem sive augmentum et diminucionem. Exemplum
est in campana quam cum destructam reparat magister
aut minuit nunc augmentat formam vel ut no-
lit variat nec agere potest ut metalli partes ad lo-
ca pristina redeant. Ymo sepe quod erat in summo
situatur in medio vel in ymo et similiter econverso quare
necesse est ut forma generata sit numero alia
quam corrupta. Verum agens potencie infinite cum
corruptum reparat hoc facit sine omni variacione
et sine aliqua addicione vel diminucione et omnino